

in clausulis desinentibus. Ὁμοιόπλων vero in nominibus, in quibus casus eidem in fine repetuntur, fieri arbitrantur. Sed vitium hic geminum.

1. Ὁμοιοτέλειαν non in solis verbis, quod origo vocis indicat: sed in nominibus quoque est. Nam ὁμοιοτέλειαν, id est, similiter desinere tam nominibus, quam verbis competit. Est itaque in hoc membro distinctionis, genus loco speciei.

2. Id verbo & nomini tantum in hac distributione tribuitur, quod etiam cæteris orationis partibus competit. Non enim nomina solum & verba similiter in clausulis desinunt: sed etiam aduerbia nonnunquam & coniunctiones: Vnde liquet distributionem hanc angustio rem esse distributo.

*Epistrophes
amplitudo.*

Cæterum vsus & amplitudo Epistrophes his tribus modis conspicitur. 1. Cum syllabæ tantum similes in fine repetuntur, vbi præcipue locum habet homioteleuton & homioptoton. Cicero pro Pompeio, *Vt, eius voluptatibus non modo ciues assenserint, socij obtemperarint; sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.* Item pro Milone. *Est hæc iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex ipsa natura arripimus, hausimus, expressimus, ad quam, non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Deut. 32. 9. *Pars domini populus eius, & Iacob sors hereditatis eius.* Sic Rom, 8. 34. *τίς ὁ κατὰ κρίνων, ἤ τις ὁ ἀποθάνων. Quis est qui condemnet, Christus est, qui mortuus est?*

2. Cum eadem vox iteratur: vt Cicero, *Cum ego legem de ambitu tulerim ex senatusconsulto tulerim, sine vi tulerim, saluis auspiciis tulerim.* Rom. 8. 31. *εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν τίς κατὰ ἡμῶν. Si Deus pro nobis, quis contra nos.*

3. Cum plures voces vel sententia tota in fine clausularum repetitur, vt in illo Martialis:

*Capto tuam (pudet heu) sed capto Maxime cœnam
Tu captas alias: iam sumus ergo pares
Mane salutatam venio: tu diceris isse
Ante salutatam: iam sumus ergo pares
Sum comes ipse tuus, tumidique ante ambulo Regis:
Tu comes alterius, iam sumus ergo pares.*

Psal. 115. 9. 10. 11. *Israel fide Iehouæ: auxilium eorum & Clypeus eorum est: domus Aaron fide Iehouæ: auxilium eorum & clypeus eorum est. Qui timetis Iehouam fide Iehouæ, auxilium eorum & Clypeus eorum est.* Psal. 117. 2. 3. *Dicat nunc Israel, quod in seculum misericordiae eius: dicant nunc familiae Aharon, quod in seculum misericordiae eius: dicant nunc qui timent Iehouam, quod in seculum misericordiae eius.* Et Psal. 136. In singulis versibus repetitur hæc clausula, *quoniam in seculum benignitas eius.*

Symploce.

Coniunguntur nonnunquam Anaphora & Epistrophe quæ coniunctio Simplexe seu complexio dicitur cum videlicet idem sonus & in principio & in fine clausularum repetitur. Talis complexio est in illo Fabii. *Qui sunt, qui fœdera rupe-*
runt?

runt?